



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 91. Comitia a Cæsare Augustæ indicta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

rum Regem ad rescindendam Gallorum societatem pertrahere, suisque studiis devovere conabatur: hinc solus adhuc ad sustinendam belli molem Julio deerat Maximilianus Imperator, quem, ut cum Venetorum Republica specialem pacem iniret, inducere tentabat. Minus tamen placuit Cæsari Papæ consilium; sperabat enim duplicem, eumque satis validum proximi belli nervum aliunde sibi suppeditatum iri; quippe a Galliæ Rege foederato suo pecunias, ab Imperio autem militum suppetias sibi pollicebatur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1510.

Guic. l. 9.
Maria. l. 29.

§. XCI

Comitia a Cæsare Augustæ indicta.

Hanc in rem Imperator S. R. I. comitia Augustæ Vindelicorum celebranda indixit: ut vero a Gallis pecunias obtineret, Gurcensem Episcopum in Franciam ablegavit, qui tamen nonnisi mense Septembri eo delatus est. Interea Augustæ conventus Principum habetur, eo fine, ut a Germanis necessaria suppeditarentur subsidia; quorum tamen consilia, ut everteret, nil intentatum reliquit Pontifex, hacque de causa Nuncium ad Comitia decrevit, qui sese omnibus Maximiliani machinationibus opponeret, nec segniores Veneti clam suos decernebant Procuratores, qui S. R. I.

H 4

Prin-

Sæcul. XVI.
A. C. 1510.
Principibus, atque Ministris in hoc conventu congregatis exponerent, sua plurimum interesse, ut Cæsaris consilia adversus Italiam capta præpedirent. Ea res longiorem quidem moram deliberationibus afferebat, nec tamen, quominus sententia Cæsaris voto propitia decerneretur, obstare poterat; Germanos quippe pristinam Imperii auctoritatem in Italia restituendi spes plurimum pellegerat; accessit etiam ad Cæsaris commodum potens Gallici Oratoris Ludovici Heliani favor; hic enim amplissima potestate instructus, in pleno Principum confessu tam vehementem, gravemque orationem adversus Venetos declamabat, ut hoc unico specimine se virum non minus publicis negotiis gerendis aptissimum, quam scientiarum laude insignem monstraret.

§. XCII.

Oratio Ludovici Heliani Franciæ Oratoris in Comitibus Augustanis contra Venetos.

*In append.
ad hist. Venet. Justin.
edit. Germ.
§ 10. 2. rer.
Germ. edit.
Freher.*

Percipiamus igitur, qua ratione Helianus in sua oratione consilia, artificia, atque media recenseat, quibus Veneti ad tuendum suum imperium usi fuerant. Bene, inquit Orator, ac religiose fecissent Veneti, si post multas civitates,